

DE RE SCENICA IN AESCHYLI ORESTEA.

[Edita est haec dissertatio anno MDCCCXLVI.]

Ex quo Volfgangus Goethius Euripidis Iphigeniam nostri aevi ingenio accommodatam in scenam emisit, Fridericus autem Schillerus recentioris historiae argumentis imitari Graecorum tragoedias studuit, ex parte via videbatur monstrata esse quam ingrederentur qui posthac essent tragoedias scripturi. Non exstitit tamen qui rem inchoatam perficeret: quippe nec satis cognitae erant leges Graecae tragoediae, et deterrebat chori usus, quem Goethius scite effugerat choricis partibus in Iphigeniam translatis. Nuper demum ipsa Graeca tragoedia laudabili conatu in theatrum producta, quamquam in potissimis quibusdam rebus erratum erat, tamen ita hominibus ostendit quanta vis sit antiquae simplicitatis, ut etiam qui novitate primo stupuerant tardiores et hebetiores animi, mox incredibiliter se commotos esse faterentur. Iam vero audimus etiam integram illam trilogiam, quae sola servata est, in brevius contractam theatro traditum iri: quam in patriam linguam transferre iussum Ioannem Franzium quum videam auctoritate O. Mülleri et I. Gust. Droysenii permotum adscivisse quae hi viri incredibilia commenti sunt, operae pretium duxi de re scenica in istis tragoediis pauca disserere. Accidit enim illis, ut, quum omnia quam accuratissime exornare cuperent, antiqua cum hodiernis commutarent, putarentque, quae nunc fortasse placeant, etiam Graecis ante plus quam duo annorum milia placuisse. Verum in ea re levitas et cursim peragratae antiquitatis ostentatio, non peritia et studium veritatis cernitur. Facile est fingere quae facta esse potuerint (et non haec tantum, sed etiam quae ne potuerunt quidem fieri pro veris vendita videmus): verum qui non lusus luxuriantium ingeniorum, sed res testatas aut iusta ratiocinatione inventas repraesentare volent, eos non decet proferre quae neque an fuerint sciunt, et, si quaerent, aut non fuisse, aut multo aliter comparata invenirent. Ita quis credat Furias in Eumenidibus foeda illa specie introductas esse quam pictam dedit C. A. Böttigerus, neque